


PRIMA PARS
PRINCIPALIS HVIVS OPVSCVLI,

de rotunditate terræ, de circulis Sphæræ, in terræ
globo etiam intellectu constitutis.

Quòd terra sit rotunda.

CAPVT I.

TERRAM sphericam ac rotundam esse ab oriente in occidentem, indicant astra orientia & occidentia. Nam propter tumorem terræ apparent astra orientia prius orientalioribus nobis quàm illis, qui à nobis uersus occidentem morantur. Ab austro uero in septentrionem globo sitatem terræ insinuant astra circa antracticum polum nobis occultata semper, quo ad nostram inhabitationem terræ, & Bootes, duæ Ursæ, & cæteræ stellæ circa polum mundi Arcticum, quæ à nobis semper uidentur, & nunquam nobis occidunt, sed Antipodibus perpetuo occulte latent. Est etiam aliud experimentum, quo terræ sphericitas ad sensum patebit in eclipsibus Lunaribus, cum enim eclipsis Lunaribus nihil aliud sit, quàm interpositio terræ inter corpus Solis & Lunæ, nam tunc umbra terræ, ad usque corpus Lunare pertingens, totum corpus Lunæ in se totum aut particulariter claudens, lumine Solis priuat & obfuscat, & cum talis umbra in Luna tempore eiusdem defectiois rotunda uel orbicularis semper se nostro aspectui prebeat, satis aperte terram quæ umbram hanc causat, esse rotundam demonstrat. Theon etiam Alexandrinus rationibus firmissimis eam quantum ad sensum comprobat esse sphericam, hanc inducendo comparationem. Si sphæræ pedalem habentis diametrum ex materia factæ harenula affigatur, aut modicissima in ea concauitas fiat, non ideo ad sensum mutat formam sphericam, sed altissimi montis ad totam terram non maiorem astruit esse proportionem, quàm harenulæ ad sphæræ pedalem (ut dictum est) diametrum habentem.

**An terra moueatur an quiescat, Ioannis de
Monte regio disputatio.**

CAPVT II.

Quòd moueatur, quia per motum terræ circulaarem ab occidente in orientem omnia saluari possunt, quæ in astris apparent. Igitur si dicimus terram moueri, & cœlum quiescere, nullum apparet inconueniens. In oppositum est autor sphæræ. Mota quæstio quærit de motu locali, & non de motu alterationis, siue generationis & corruptionis. Quærit itaque, an terra localiter moueatur, de quo quidam antiqui opinati sunt, quod cœlum quiesceret, & terra moueretur super polis suis circulariter, in die faciendo unam reuolutionem ab occidente uersus orientem. Ita imaginabantur, quòd terra haberet se sicut assatura in ueru, & Sol sicut ignis affans. Dicebant enim: Sicut ignis non indiget assatura, sed econuerso, ita Sol non indigeret terra, sed potius terra Sole.